Noverint universi quod nos Beatrix Dei gratia abbatissa monasterii Sancti Danielis Gerunde, attendentes quod dictum monasterium habet satis prope civitatem
Gerunde quandam joveriam vocatam de Fonte Erbis, cum suis terris honoribus et pertinentiis suis, attendentes etiam quod consideratis sumptibus qui pro laboratione
ipsarum terrarum et honorum et alia ratione ipsius jouerie fiunt necessario et fieri habent, melius utilius et fructuosius esset ipsi monasterio multiplici ratione dictam
joveriam cum suis terris honoribus et pertinentiis stabilire seu ad emphiteosim concedere sub certis censibus quam ad propriam laborationem retinere vel etiam
ipsam ad laborandum concedere, habitis super predictis et quolibet predictorum diligenti et frequenti consilio deliberatione et tractatu cum conventu nostri
monasterii propterea more solito convocato et congregato, pro evidenti ipsius monasterii utilitate attenta, de consensu voluntate et consilio dicti nostri conven-
tus et etiam de auctoritate et expresso assensu reverendi patris in Christo domini Gastonis miseratione divina episcopi Gerundensis, gratis et ex certa scien-
tia per nos et succedentes nobis in dicto monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum vobis Jacobo de Manso Oliba marce-
rio Gerunde et vestris perpetuo unam feixiam terre prout est signata et terminata ex campo vocato Cornet qui est dicte jouerie, que fe-
xia affrontatur ab oriente in honore Petri Capeler et den Lobet, a meridie in honore dicti monasterii, ab occidente in carraria, a circio in feixia
Jacobi de Manso Oliba. Predictam siquidem feixiam prout superius terminatur et affrontatur cum omnibus integritatibus et proprietatibus suis, introi-
tis exitibus et pertinentiis suis universis et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et deinceps faciendis vobis dicto Jacobo de Manso Oliba
et vestris perpetuo damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum, salvo tamen jure et directo dominio dicti monasterii tam in terciis lau-
dismiis foriscapiis emptis factis quam etiam aliis que ad directum dominium pertinere noscuntur. Dabitis propterea vos et vestri nobis et nostris
succedentibus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo sanctorum Petri et Felicis unam migeriam frumenti boni pulcri sicci et nitidi ad me-
suram Gerunde, scilicet ipsam deffendentem in foro ad latam vestris sumptibus in dicto monasterio. Et sic sub dictis modis et condicionibus
constituimus nos dictam feixiam terre nos vestro vestrorumque nomine possidere donec eiusdem rei possessionem tam de jure quam de facto adepti
fueritis corporalem, in qua intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et vestris damus et conferimus potestatem ad faciendum inde omnes
voluntates, retentis tamen condicionibus supradictis. Et sic per nos et succedentes in dicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula
supradicta rata et firma habere tenere et servare, et predictam feixiam cum suis juribus vos et vestros semper facere habere tenere et etiam deffen-
dere in pace contra cunctas personas, et inde vobis et vestris firmiter teneri de evictione et omni dampno et interesse litis et extra. Et pro predictis
attendendis et complendis obligamus vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presentia et futura. Pro huiusmodi vero concessione habuimus et
recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii septem libr. barch., renunciando exceptioni pecunie non numerate et non recepte et doli. Et ego dictus
Jacobus de Manso Oliba laudans et concedens omnia supradicta promitto vobis dicte domine abbatisse et succedentibus vobis in dicto monasterio dictum censum
unius migerie frumenti annuatim solvere termino supradicto ad latam ut est dictum. Et pro predictis attendendis obligo vobis et vestris dictam feixiam terre
cum omnibus suis melioramentis et augmentis ibi factis et deinceps faciendis. Quod fuit actum et tam a dicta venerabili abbatissa quam dicto Jacobo de Manso Oliba
firmatum laudatum. VI idus octobr. anno domini M. CCC. tricesimo tercio. Presentibus testibus venerabili Bernardo de Latu presbitero de capitulo et Petro de Villari-
cio clerico et Arnaldo de Torrente Gerunde. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito congregatum in capitulo dicti monasterii
laudata concessa et approbata et etiam postea predicta omnia per dictum reverendum dominum episcopum Gerundensem laudata auctorizata et approbata. IIII
idus octobr. anno domini predicto. Presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palaciolo thesaurario et Bernardo de Latu presbitero de capitulo Geru-
den. Et similiter Arnaldus de Torrente bajulus dicti monasterii predicta firmavit pro bajulo coram testibus supradictis.

Sig+num Petri Massaneti notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Vilario notario Gerunde publico, qui hoc scribi fecit et clausit cum suprascripto in linea [illegible] ubi dicitur
tenere.

Nº 66 f 100

10-10-1333

Nº 671

CTORS

T. 410 x 332

Stabliment fet a Jaume de [illegible] de [illegible]
de una pessa de terra que ... [illegible]
de la Sacristia de Montribi

[illegible] Sacristia de Montribi

AC f. 30v Nº 10 del segon plec de Montiribi

700